

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 65. (Neovidensis 1807. Nro. 62.)

*Colloquium Politicum
vita functorum.*

Elysium-Meum.-Die Veneris 14. Augusti 1807. (Neovid 31. Iulii.)

— Cadit et Ripheus, justissimus unus,
Qui fuit in terris et servantissimus aequi:
Diis aliter visum est. —

Aeneid.

Pax Galliam inter et Russiam.

Siquidem, quandoquidem, et posteaquam demonstratum est: in cunctis bellis, a duello Cainum inter et Abelum, ad nostra usque tempora, debiliori succumbendum esse; siquidem utraque, et vetere et nova historia doceamur: maximas potentias collapsas, novas suscitatas esse, quemadmodum exempla Assyriorum, Persarum, Graecorum, Romanorum, Carthaginiensium aliarumque bellis inclutarum gentium: Vandalorum, Gothorum, Visi et Ostro Gothorum, quae omnes e Septemtrione profectae sunt, in numero habemus; siquidem mundus hic noster omnium optimus, ita commoratus est, ut incolae ejus quovis suae commorationis tempore, ederent, biberent, semper bella gererent, tandem pacem inirent; et iterum: siquidem, quandoquidem, et quoniam praesens bellum, terminatum, idque pax con-

secutasit: e re videtur quaevis ad eam concernentia Acta, Tractatus, et Conventiones, Annalibus inserere, ut posteris, ubi auctori rerum nos ex hoc rerum spectaculo avocare placuerit, (quod ut ocius eveniat precamur) fideli traditione custodiantur transmittanturque, hoc est genuinum illud Elysium, in quo posteri nostri cum mortuis in Fabulariis Bibliothecisque consilia haurire poterunt; hi illi Campi elysii, beatorum sedes, in quibus seri nepotes, et qui nascentur ab eis, turturum instar grana opima legere, viros admirari imitarique, heroica acta stupere, atque ex iis salutaria praecepta discere velint!

In quorum finem, en sequens documentum in Elysijs adscribitur, custoditur, et pro futura directione Cosmographiae asservatur; en ejus argumentum!

Parisii 25 Julii. Hesternae extraordinaria sessione Princeps Imperii Cancellarius Senatui, praemisso succincto sermone, Pacis Tractatus cum Russia et Borussia retulit; alter in hunc modum habet.

„ Sua Majestas Imp. Gallorum Italiae Rex, et Foederis Rhenani protector; Sua item Majestas Imperator Russiae, aequo animati voto: Calamitatibus belli finem imponendi; eum in finem denominarunt, suos plena cum rerum potestate instructos ministros, et quidem S. M. Imp. Gallorum, Rex Italiae protector Foed. Rhen. Dominum *M. Tallavana*, Principem Benevent. Magnum Suum Camerarium et Negotiorum externorum Ministrum, M. Crucis Legionis honorariae, Equitem Prussici Ordinis nigrae et rubrae aquilae, atque S. Huberti; et S. M. Imperator omnium Russorum, Dominum

Prin
lariu
tent
Sua
tem
nae
nigr
Dan
exc
Don
lem
rato
S. A
tis
luen

tus,
Gall
rem

in c
ad
Tra
sine
hoc
nera
mitt

utriu
temp
adpr
jam

ne d



Principem *Alexandrum Kurakin* actualem Cubicularium, extraordinarium Legatum, et plenipotentiatum Ministrum S. M. Imp. Russiae penes Suam Majestatem Imperatorem Austriae, Equitem Ordinis S. Andreae, S. Alexandri, S. Annae et S. Wladimiri primae Classis, Prussici nigrae et rubrae aquilae, Bavarici S. Huberti, Danici Dannebrogici, tum Bailli et M. Crucis excelsi Ordinis S. Joannis Jerosolimitani, et Dominum *Demetrium Labanoff a Rostoff* Generalem Locumtenentem Copiarum S. M. Imperatoris omnium Russorum, Equitem ordinis S. Annae I. Classis, ordinis militaris S. Georgii et S. Wladimiri 3. Classis; qui commutatis Credentialibus suis in sequentia puncta coaeruerunt,

1. A die permutationis praesentis Tractatus, perfecta pax et amicitia inter S. M. Imp. Gallorum, Italiae Regem, et S. M. Imperatorem Russiae, obtinebit.

2. Quaevis hostilitates ab utraque parte, in continente et mari in omnibus regionibus, ad quas nuncium de subscriptione praesentis Tractatus ex officio pervenerit, e vestigio desinent; Excelsae contrahentes partes confestim hoc nuncium per extraordinarios Cursores Generalibus Ducibus et Commendantibus transmittent.

3. Quaevis naves bellicae, aliaeque alterutrius tractantis partis, aut earum subditorum tempore subscriptionis praesentis Tractatus apprehensae, restituentur, aut in casu, quo jam alienatae, valor earum compensabitur.

4. S. M. Imperator Napoleon aestimatio-
ne ducta in S. M. Imperatorem omnium Rus-



sorum, et in argumentum sinceri desiderii: utramque nationem vinculo inconcussae fiduciae amicitiaeque arctius jungendi, consentiti: ut S. M. Regi Borussiae, ceu foederato Imperatoris omnium Russorum, quaevis hisce nominatae occupatae provinciae, urbes, territoria reddantur, utpote: pars Ducatus Magdeburgici, quae dextrae Albis orae adjacet, Marchia Prignitzensis, Ukermarchia, media et Nova Marchia Brandenburgica, excepto Circulo Kottbusensi Lusatae Inferioris, quae S. M. Regi Saxoniae attribuenda: Ducatu Pomeraniae, Superioris et Nova Silesia, cum Comitatu Glatzensi; pars Districtus Netzensis, quae boream versus juxta lineam porigitur; quae a Schneidemühla per Valdaviam Albim attingit; et ad limites Brombergensis Circuli procurrit, cum reservatione reciprocae plene liberae navigationis in Netze flumine; fretoque Brombergensi Dresenio Vistulam usque; Pommerellam, Insulam Nogat in occasu veteris Prussiae, et in Septemtrione Culmensis Circuli; Ermelandia, denique Regnum Prussiae prout Calendis Januarii 1772 consistebat, cum fortalitiis: Spandavia, Stettinio, Küstrinio, Glogavia, Breslavia, Schweidnitzio, Niesā, Briega, Kosela, et Glatzensi, in summa: quaevis fortalitia, castella, arces, et munimenta, provinciarum memoratarum, in eo statu, in quo haec fortalitia, arces, munimenta de praesenti constituuntur; et his insuper urbem cum Castello Graudenzio. 6) Provinciae, quae Calendis Januarii 1772 partes potentiales Regni Poloniae effecerunt, et ex eo tempore diversis sub Epochis dominatum Borussicum subierunt, atque vigore infra recensendae Art. 9. ditiones, cum omni Dominii et Imperii supremi Jure a S. M. Rege Saxoniae sub titulo *Ducatus Varsoviensis* tenebuntur, et secundum Constitutionem gubernabuntur, quae libertatem et

privilegia populorum hujus Ducatus tuetur, cumque tranquillitate vicinorum Statuum combinabilis est.

6) 7) 8) 9) 10) (Hi Articuli de verbo conformes sunt, Articulis 19, 20, 16, 18, 22, Pacis Tractatus cum Borussia, quem priori Nro. 64 retulimus.

11) Quaevis obligationes S. M. Regis Borussiae, tum respectu priorum possessorum, beneficiorum ecclesiasticorum, militarium et Civilium personarum, quam respectu Creditorum, Pensione donatorum, prioris Polonici regiminis, manent S. M. Imp. omnium Russorum, et S. M. Regem Saxoniae, in ratione attributarum iis A. 5. et 9 provinciarum, atque ab iisdem absque ulla restrictione, exceptione, aut reservatione exaequabuntur.

12) Celsissimae Dominationes: Duces Saxo-Coburgicus, Oldenburgicus, et Megalopolitano-Schwerinensis plenae et quietae suarum ditiorum possessioni restituuntur; verum portus Ducatus Oldenburg, et Megalopolitani, usque permutationem Ratificationum futuri definitivi Pacis Tractatus Galliam inter et Angliam, gallico praesidio tenebuntur.

13) S. M. Imp. Napoleon intermediationem S. M. Imp. omnium Russorum ad Tractationem definitivae Pacis Galliam inter et Angliam ea cum praesumptione acceptat; hanc Intermediationem ab Anglia quoque, intra mensem a permutatione Ratificationum praesentis Tractatus acceptatum iri. 14) 15) conformis Art. 5 et 4 Tract. cum Borussia. 16) S. M. Imperator omnium Russorum cedit omni cum Domini et Imperii Jure S. M. Regi Hollandiae

Dominium Jeveranum in Frisia orientali. 17)
 18) aequisonum Artic. 5 et 6. Tract. cum Bo-
 russia 19) Regnum Vestphaliae constabit ex
 provinciis a S. M. Rege Borussiae in laeva
 Albis ripa cassis, aliisque de praesenti a
 S. Majest. Imp. Napoleone tentis ditionibus.
 20) S. M. Imp. omnium Russorum pollicetur
 assensum quibusvis dispositionibus, quas vigo-
 re supra allati 19 Articuli S. M. Imperator
 Napoleon intuitu provinciarum ab S. M. Re-
 ge Borussiae ce-sarum, facturus est, cum prae-
 via promulgatione, prout etiam promanantem
 ex ea Principum possessionis statum, in
 quorum favorem ea suscepta fuerit 21) Quae-
 vis hostilitates terra et mari, inter Copias S.
 M. Imp. Russiae, et Suae Celsitudinis M. Sul-
 tanni, confestim in omnibus partibus, ad quas
 nuncium de subscriptione harum Tabularum
 pertigerit, e vestigio desinent. Ex elsaer partes
 contrahentes eam indilate medio extraordi-
 nariorum Cursorum quo ocus expedient, ut
 utriusque partis Generalibus Ducibus, Com-
 mendantibusque innotescere valeant 22) Co-
 piae Russicae Moldavia et Valachia excedent;
 provinciae nihilominus hae, primum subsecuta
 permutatione Ratificationum futurae definitivae
 pacis Russiam inter et Portam Ottomanicam
 a copiis suae Celsitudinis recuperabuntur. 23)
 S. M. Imp. omnium Russorum acceptat inter-
 cessionem S. M. Imp. Gallorum, Regis Italiae
 sine tractandae et concludendae, utriusque Im-
 perio utilis, et honorificae pacis, Plenipo-
 tentiati utriusque partis locum petituri ab
 utraque paciscentium parte definitum, ad Tra-
 ctationes inchoandas, prosequendasque.

24) Termini, intra quos utraque excelsa
 contrahens pars, copias, locis, quibus vigore
 superiorum stipulationum excedendum habent,

eductura, non secus ratio exequendi diversas Clausulas praesentis Tractatus, peculiari Con-
ventionione determinabitur.

25) S. M. Imp. Gallorum, Rex Italiae; et S. M. Imp. omnium Russorum, reciprocam sibi Gvarantiam praestant, super integritate provinciarum suarum, earumque, quae praesenti Tractatu continentur provinciarum, prout vel de praesenti consistunt, aut secundum superiores stipulationes constituturae sunt. 26) Bello capti, a contrahentibus; aut praesenti Tractatu contentis potentiis, absque permutatione et in massa reddentur. 27) Nexus commerciales inter Imperium Gallicum, Italiae Regnum, Regnum Neapolitanum Hollandiae, atque Status Foederis Rhenani ex una, et Imperii Russici provincias parte ex altera, ad eundem, quo ante bellum erant, statum restituantur. 28) Solennitates externae aularum: Parisinae et Petropolitanae mutuae, et respectu legatorum, nunciorum, ministrorum, quos altera penes alteram Credentialibus provisura est, secundum principia prefectae aequalitatis exigentur.

29) Praesens Tractatus a S. M. Imp. Gallorum Rege Italiae, item a S. M. Imp. omnium Russorum ratificabitur; permutatio Ratificationum in hac urbe intra quatrimum obtinebit; (jam 9 Julii peractam constat) Actum Tilsit die 7. Julii 1807. Subsc. *M. Talleyrand* Princeps Beneventanus. Princeps *Alex. Kurakin*. Princeps *Demetrius Labanoff a Kostoff*. Uterque Tractatus Pacis hesterno adhuc die in Foris principibus Urbis, medio praeconum solenniter promulgati sunt. Vesperi urbs festive collustrata fuit. (Monit.)
